



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 4. Quid labor in terra colenda efficiat, fabula historijsque docetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

§. IV.

*Quid labor in terra colenda efficiat, fabula
historijsq; docetur.*

Rusticus plures liberos, quam nummos habebat. Morti vicinus omnes cōuocauit, eosque circa lectum flentes ita affatus est. Ego, ô mei charissimi, a diuturno labore tandem vocor ad quietem. Antè igitur, quam à vobis in terram abeo, hereditatem vobis vestram indicabo. Nec verbis multus vtar. Nam in vnica quidem vinea, tamen thesaurum vobis relinquo. Dixit, & vixit. Filij à funere vix regressi, vertere pala cespites, offringere glebā, farrere terram, & totam adeò vndiq; circumfodere vineam cœperunt, vt thesaurum reperirent. Sed thesaurum quidem non inuenientes, vinea fertilem fecerunt, quæ illis, magni instar thesauri, fuit. Plinius, postquam Manij Curiij retulit dictum: *perniciosum intelligi cinem, cui septem iugera non essent satis; itemque postquam addidit: Hæc autem mensura plebei, post exactos reges, assignata est, hanc quæstionem subjunxit: Quenam ergo tantæ vbertatis causa erat? & respondet: Ipsorum tunc manibus Imperatorū colebantur agri) ut fas est credere) gaudente terra vomere laurea.*

Plin. nat.
hist. l. 18.
cap. 3.

to, & triumphali aratore, sine illi eadem curâ
 semina tractabant, qua bella, eademq; diligen-
 tiâ arua disponebant, qua castra: siue honestis
 manibus omnia letius proueniunt, quoniam &
 curiosius fiunt. Serentem inuenerunt dati ho-
 nores Serranum, unde cognomen. Aranti qua-
 tuor sua jugera in Vaticano, qua prata *Quin-*
tia appellantur, Cincinnato viator attulit di-
 ctaturam, & quidem, ut traditur, nudo, ple-
 noq; pulueris etiamnum ore. Cui viator, vela
 corpus, inquit, ut proferam Senatus populiq;
 Romani mandata. Ab his non inuita, nec
 indignè ferens, aut furda colebatur tellus.
 Immo olim de cultura agri precipere, prin-
 cipale fuit. Siquidem & reges fecere, *Hiero,*
Philometor, Attalus, Archelaus; & duces,
Xenophon, & Pœnus etiam Mago. *Quin &*
M. Cato, D. Syllanus, M. Varro, qui octo-
 gesimum primum vitæ annum agens, de
 ea re prodendum putauit. *Catonis oracu-*
lum est: In re rustica opera ne parcas. *Qui*
etiam inter prima spectari iubet, ut opera-
riorum copia prope sit. Ut ager sit bene adi-
ficatus & cultus. Nihil enim est damnosius
deserto agro. Idemque Cato interrogatus, quis
esset certissimus quastus, respondit. Si bene pa-
scas. Quis proximus? si mediocriter pascas. In-
de

Idem ibid.

Idem c. 57

de

Idem c.6. *de illa reliqua oracula: Nequam agricolam esse, quisquis emeret, quod præstare ei fundus posset: Malum patrem familias, quisquis interdixisset, quod noctu posset, nisi in tempestate civili. Peiorem, qui, profestis diebus, ageret, quod feriatas deberet (Nimis hoc Ethnicum præceptum seruant, quidam Christiani rustici, sacrum omne lucro postponentes) Pessimum qui sereno die, sub tecto potius operaretur, quam in agro.*

S. V.

Prodigosus fructus, in labore C. Furij Cresini ostensus.

Plin. loc.
cit.

Nequeo mihi temperare, quo minus unum exemplum antiquitatis afferam ex quo intelligi possit, apud populum etiam de culturis agendi morem fuisse, qualiter defendi soliti sint illi viri. C. Furius Cresinus è seruitute liberatus, cum in paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in inuidia magna erat, cum fruges alienas pelliceret veneficijs. Quamobrem à Sp. Albino curuli, die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (ut ait Piso) bene curatam ac vestitam, ferramen-